



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

6 Quas incurrant Religiosi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

SECTIO VI.

Quae suspensiones sint ipso iure latae, specialiter contra religiosos.



Rima sumitur ex cap. ultimo de Apostatis, ferturque in religiosos apostatas, qui in apostasia perierant, ordinem sacrum suscipiunt, nam ab illo suspenduntur. Circa quam est notandum, hanc poenam non fundari in aliqua prior censura quam incurrant apostatae, sed precise in ipso apostasiae vitio, cui est annexa ex vi illius iuris hanc inhabilitas seu quasi irregularitas ad ordines, quoad illud durat; hoc enim significant illa verba textus, *aliquem sacrum ordinem in apostasia recipiens*. Unde licet apostata ut sic non sit excommunicatus antiquo iure, hanc suspensionem incurrit suscipiens ordinem, & modo si excommunicatus sit, vel propter dimissionem habitus iuxta cap. 2. Ne clerici, vel monachi, in 6. vel propter ipsam apostasiam, iuxta indulta religionum duplicem suspensionem incurrit sita ordinetur, vnam quia excommunicatus, aliam quia apostata ordinatur: nam haec duae poenae non sunt impossibiles, ut vna aliam excludat: nec vna in aliam commutata est, sed vnaquaeque propter suam rationem absolute imposita. Unde, licet ab excommunicatione absolueretur priusquam ad religionem rediret, & interim ordinaretur, aliam suspensionem vitaret, non vero praesentem.

Hoc supposito dubitari primo potest, an haec suspensio incurratur suscipiendo tantum minores ordines in apostasia. Communis enim opinio affirmat, ut refert & sequitur Panormitanus dict. capit. ultimo, significant Antoninus, 3. part. tit. 27. ca. 4. Syluester verb. *Ordos*, quast. 6. quatenus de ordine absolute loquuntur, & vterque citat extra eodem *Apostata*, nullum tamen inuenio decretum ita incipiens sub titulo de Apostatis, vel de Sentent. excommunicati. videntur ergo citare dict. capit. ultimum de Apostatis, & error esse typographorum. Eandem opinionem tenet Maiol. lib. 2. de Irregularitat. cap. 1. nu. 75. qui alia iura refert. Addit vero Panormit. suspensionem contractam per receptionem ordinis sacri, esse Pontifici reservatam, aliam vero esse Episcopalem. Et fundari in hoc videtur, quod in dict. capit. ultimo sola prior reservatur. Sed hinc certe melius inferret solam priorem incurri. Dico ergo hanc suspensionem non incurri propter solam receptionem minorum ordinum. Probatur, quia vel ex vi dict. capit. ultimi, vel alterius neutrum dici potest: ergo non incurritur: quia, ut saepe dixi, suspensio non incurritur ipso facto, nisi sit in iure lata. Minor ergo quoad priorem partem probatur, quia ibi expresse dicitur, *aliquem sacrum ordinem*. Et lex poenalis non est extendenda, maxime ubi non est similitudo rationis, longe enim grauius est suscipere ordinem sacrum in illo praui statu quam minorem. Confirmatur argumento insinuat contra Panormitanum, quia sola suspensio ordinis sacri censetur reservata Pontifici ex vi illius textus, quia de illa sola ibi est mentio facta: ergo eadem ratione illa sola lata est ex vi illius textus: quia etiam quoad impositionem tantum illius mentio facta est. Altera pars probatur, quia duo tantum alia iura citantur ad hanc rem. Primum est cap. *Placuit*, distinctione 5. sed ibi non de hoc agitur, sed de his qui publicam poenitentiam egerunt, qui dicuntur, non admitti ad clerum; & de his dicitur in casu necessitatis admitti posse ad minores ordines. Secundum est cap. ultimum eadem distinctione, ubi de his apostatis dicitur, *tubemus ad clericatus officium non admitti*. Quae verba poenam ferendam, non latam continent. Preterquam quod illud decretum est Concilij provincialis Arelat. 2. cap. 25. quod nec

Fr. Suarez tom. 5.

A vniuersaliter obligat, nec fortasse propriam irregularitatem inducere poterat. Ac denique ibi solum iubentur hi non ordinari. non dicitur autem, ut, si ordinati fuerint, suspensi maneant.

Dubium secundum est, quid impediatur suspensio haec. Primum certum est, impedire vsum ordinis sic suscepti, ita enim dicitur in textu. Unde secundo est certum, non impedire vsum alterius ordinis prius rite suscepti: quia in textu additur illa determinatio. Tercio constat impedire ascensum ad superiores, licet aliqui Canonistae contradicant: sed haec est communior sententia Panormitani, & aliorum, & satis constat ex generali doctrina superius data.

Tercio dubitari solet, An religiosus transiens indebite ad aliam religionem hanc suspensionem incurrat. Dico indebite, nam si transeat ex facultate, vel dispensatione sufficiente, nulla est quaestio, cum ille nullo modo dici possit apostata. Imo licet transeat indebite quoad modum, ut verbi gratia, quia transiit ad arctiorem sine licentia petita, si tamen iam professus est alibi, & professio valuit, certum est non incurrere hoc impedimentum, quia nullo modo est apostata. Et ita declaratur in capitulo *Ex parte*, de Temporibus ordinat. Dubium ergo est, quando transitus est iniquus & occultus, ita ut semper quis teneatur ad suam religionem redire. Quodam ergo asserunt etiam tunc non incurrere hanc suspensionem, licet in eo statu ordinetur: significat Glossa in dicto capit. ultimo, quia indistincte respondet. Et Panormitanus etiam exponit de transeunte in casu non concessio. Idem Maiol. dicto numero 15. Et videtur sententia communis, quia communiter hic non censetur apostata, quia non deficit a religione, ut sic. Et licet aliqui Canonistae vocent illum apostatam, dicunt saltem, non esse illam propriam, nam apostasiam: lex autem poenalis restringenda est ad significationem maxime propriam, & rigorosam. Sed haec quaestio pendet ex alia, an sit vere apostata transfuga ab vna religione ad aliam. In qua iuxta institutionem, & indulta Apostolica non potest valide profiteri, & consequenter nec permanere, quam in opere de religione, quod praemanibus ex professo tractamus, cum aliis multis de apostasia a religione, ex quibus intelligentia huius suspensionis pedit. Nunc breuiter assero illum esse vere apostatam, & incurrere in poenam huius legis. Quod tenet Glossa dicto capit. *Ex parte*, verb. *Libere*, de Temporibus ordinat. & ibi Abbas, & alij. Ratio mea est, quia relinquens statum suum religiosum, & alium valide non assumens, absolute dimittit religiosum statum, & ideo est verus apostata, & ita appellatur simpliciter a Pontificibus, & ut talis punitur, ut latius dicto loco.

Quartum dubium est, an si religiosus, qui prius apostata fuit, post reconciliationem, absolutionem, & reditum ad suam religionem, ordinetur sine dispensatione, maneat suspensus. Et ratio dubitandi sumitur ex illis verbis textus, *Quantumlibet suo fuerit reconciliatus Abbati, & receperit poenitentiam, &c.* Vbi expresse videtur hoc definiri. Et potest ita explicari, quia per illud crimen contrahitur quoddam genus irregularitatis, seu inhabilitatis ad ordines suscipiendos: ergo licet peccatum sit ablatum, vel alia censura, donec in illa irregularitate vel inhabilitate dispensatum sit, non potest quispiam ordines assumere; & si assumat, manebit suspensus. Nihilominus dicendum est in eo casu non incurri suspensionem hanc; sed eo ipso quod aliquis est ab apostasia liber, & ab aliis censuris, posse ordinari absque noua dispensatione, & recipere non solum ordinem, sed etiam ordinis executionem. Ita notauit additio ad Abbatem in dict. cap. ex Innocentio & aliis Doctoribus ibi. Et colligi potest ex illo verbo text. *In apostasia sacrum ordinem recipiens*: nam qui apostasiam commisit si iam ab illa recessit, non potest dici, in illa ordinem

Quid impeditur suspensio haec.

Religiosus transiens indebite ad aliam religionem, an incurrat.

Opinio non gans. Glossa. Panorm.

Maiol.

Sententia affirmans. Glossa.

Dubium.

Ratio dubitandi.

Conclusio.

*Ratio dubi-
anodatur.*

ordines recipere. Ratio autem dubitandi in contrarium, procedit ex mala intelligentia textus. Non enim est sensus, quod qui fuit apostata, quantumvis fuerit reconciliatus Abbati, vel poenitentiam egerit, maneat suspensus recipiendo ordines: sed sensus est, quod qui receperit ordines in apostasia manens, & antequam de illa poenitentiam egerit, ordines susceperit maneat suspensus, & ab ea suspensione non liberetur, etiam si postea reconcilietur vel poenitentiam agat apostasia, nisi etiam dispensationem a suspensione obtinnerit. Et hoc modo, & non alio imposita est illa prohibitio.

Secunda, circa professionem religionum.

*Ca. Nov. so-
lum, de Re-
gular. in 6.
Cap. Consti-
tutionem
eodem.*

*Quod subie-
ctum sus-
pensionis
habetur.*

Conclusio.

*7
An ordo
Minimo-
rum, & So-
cietatis Iesu
hac consti-
tutione com-
prehendatur.*

Secunda Suspendio habetur in capit. Non solum, & Scapi. Constitutionem, de Regularibus in sexto, ubi in priori religiosi ordinum Praedicatorum, & Minorum suspenduntur a receptione quorumlibet ad professionem suae religionis, si aliquem ante completum probationis annum ad professionem recipiant. In alio vero cap. extenditur poena ad omnes ordines mendicantes. Circa quam suspensionem solum video dubitari posse, an feratur in capitulum vel etiam in singulas personas. Et ratio dubij esse potest, quia potestas recipiendi ad professionem ordinarie in religionibus residet apud capitulum: nam, licet professio fiat in manibus solius Praelati, tamen potestas recipiendi est in toto capitulo: Hanc autem suspensio proxime fertur in eum, qui hanc habet potestatem: ergo immediate fertur in ipsum capitulum. Diximus autem supra, propter suspensionem capituli non suspendi singulas personas nisi in quantum sunt membra ipsius capituli. Atque ita fiet, ut licet capitulum vnius domus sit hac ratione suspensus, particulares personae, si ad alias domos inhabitandas transferantur, illic possint suffragium habere, in capitulo ad huiusmodi actum: quia non sunt suspensi nisi ut partes alterius capituli, quod iam esse desierunt. Nihilominus probabilius credo, & Praelatum praecipue, & singulas personas, quae in tali receptione suffragium habuere, manere suspensas: quia verba Pontificis non ad capitulum tantum, sed ad singulas personas diriguntur, ut patet ex illis verbis. *vosque a receptione, &c.* Et signum etiam est, quia eisdem, quibus hanc suspensionem imponit, prius in virtute obedientiae, & sub poena excommunicationis mandauerat ne id facerent: at vero poena excommunicationis non habet locum erga capitulum: ergo signum est totum sermonem immediate dirigi ad singulas poenas: ad capitulum autem quatenus ex illis constat.

Hic etiam dubitari posset, an haec constitutio & suspensio locum habeat in ordine minimorum, & in Societate IESU, quae inter ordines Mendicantium non erant, quando illa constitutio lata est: illa autem constitutio solum videtur comprehendere ordines Mendicantium, qui tunc erant instituti. Respondendo hoc non ob stare, quominus illa constitutio ad praedictas religiones se extendat: nam lex, quae perpetua est, non tantum obligat eos, qui nati erant eo tempore quo ipsa fertur, sed etiam eos qui nascuntur toto tempore quo ipsa durat. Est autem haec lex perpetua: & ideo ex hac parte obligare potest quaecumque religionem mendicantem postea institutam, aut approbatam. Aliunde vero ex defectu materiae non habet locum haec constitutio in Societate, moraliter loquendo: quia in ea nullus ad professionem suscipitur: imo neque ad simplicia vota eiusdem religionis etiam post vnum tantum annum probationis, ne dum ante illum completum. Nihilominus tamen, si generalis, apud quem est haec potestas, aliquem ad professionem admittere ten-

A taret ante expletum vnum probationis annum, hanc (ut opinor) suspensionem incurreret: quia ius proprium illius religionis, licet plus temporis exigat, & in hoc aliquid addat iuri communi, tamen quantum ad necessitatem vnius anni, non tollit, sed supponit ius commune: & ideo qui illud violat, etiam incurrere poenam iure latam. Quod secus esset si post completum annum, ante completum biennium ad professionem aliquis admitteretur, nam licet demus prelatum male agere, non tamen incurreret hanc suspensionem: quia non violat ius commune, sed proprium: haec autem poena solum est lata in eos, qui ius commune violant. Neque propter similitudinem, vel proportionem extendenda est, **B** quia, ut saepe dixi, in poenalibus legibus hoc locum non habet. Et eadem ratione existimo non posse hanc suspensionem extendi ad superiorem, qui in eadem religione Novitium admitteret ad simplicia vota eiusdem religionis ante expletum biennium. An vero idem dicendum sit, si eadem vota admittantur ante vnum annum probationis, maioris est considerationis, quam remittimus in dictum opus de Religione, ubi hoc ex professo differimus.

Tertia, & Quarta, Circa vsum temporalium bonorum.

Tertia Suspendio contra religiosos, fertur in Clementina prima, de rebus Eccles. non alien. **C** Vbi religiosus praedicens alicui monasterio, Prioratu Ecclesiae seu administrationi cuius, concedens alicui ad vitam, vel ad certum tempus iura, redditus, aut possessiones eiusdem religionis sine sufficienti necessitate, aut utilitate, & consensu superioris, ab officio ipso facto suspenditur, absque ulla alia determinatione temporis, vel officij. Vbi circa causam huius suspensionis solum est advertendum non extendi ad locationem seu venditionem fructuum, quae ad breue tempus fit, ut in eodem textu explicatur: sed intelligi de alienatione ad vitam, vel ad tempus diuturnum, quale esset ultra triennium secundum iura, & communem interpretationem. **D** Circa poenam vero ipsam dubitari posset, an illa particula, *Ab officio*, limitanda sit ad officium de quo ibi est sermo. Sed certe nulla est ratio vel coniectura sufficiens ad eam interpretationem adhibendam: & ideo verba ut sonant censeo simpliciter esse intelligenda. Sed de hoc etiam plura in citato opere de Religione.

Quarta suspensio sumitur ex Clementina prima, de Decimis, ubi religiosi qui sibi appropriant, vel inique usurpant decimas ad se non pertinentes, vel in hoc defraudantes Ecclesias aliquo ex modis, qui ibi narrantur, si intra duos menses non satisfecerint, ab officij, & beneficij administratione suspenduntur donec restituant. Quod si officia aut beneficia non habeant, ipso facto excommunicantur, ita ut absolui non possint, donec satisfaciant. Vbi circa verb. *praesumpserint*, ponderandum est quod saepe dixi, an scilicet si huiusmodi actio fiat ex aliqua ignorantia, quia religiosi putant se habere privilegium, vel exculari antiqua consuetudine, nam tunc cessat praesumptio, etiam si ignorantia ad modum probabilis non sit. Similiter ponderanda sunt verba, *appropriare, usurpare, retinere, prohibere, &c.* nam propter horum verborum proprietatem non satis erit quocumque modo non solvere, nisi vel prohibito, vel appropriatio, interueniat, ita ut vel dicant, non esse debita, & sub ea ratione ea retineant, vel etiam si sine debita, ea nihilominus solui prohibeant. Rursus expendendum est illud verbum. *Religiosi quicumque*, comprehendit enim non solum viros, sed etiam feminas, ut saepe in superioribus dictum est in simili-

bus. Et quoad hanc partem videntur includi etiam religiosi Militares, quia concessio hac quoad hanc partem fauorabilis est Ecclesiis, & ideo extendenda quantum proprietates verbi patitur: suppono autem illos esse vere religiosos. Est autem illud verbum formaliter intelligendum de religiosis in suo statu viuentibus: nam, si transacti sint ad Ecclesiam secularem, vt eius bona & fructus dispenent, ibi non comprehenduntur sub hac censura, vt recte docent Syluester Excomm. 9. casu 36. & Nauarr. cap. 27. num. 138. contra Summam Rosellam verb. Excomm. casu 39. Tandem aduertendum est hanc penam non simpliciter ferri, sed sub hac conditione. Nisi intra mensem per requisitionem eorum, quorum intererit factam non satisfecerint: quæ requisitio in præfenti vna sufficit, quia non est monitio canonica.

Quinta, Circa religiosum habitum.

Quinta Suspendio sumitur ex Clementina prima. Si quis autem, de statu monach. vbi religiosus non vtens habitu & vestitu ad formam ibi præscriptam, si Abbas vel Prior non habens Abbacem fuerit, à beneficiorum collatione per annum suspenditur: si inferior, aliquam administrationem habens, eadem per annum priuatur: si vero nullam habet inhabilis fit ad illam, vel beneficium intra annum recipiendum. Quæ suspensio ibidem extenditur ad similem religiosum, qui venationi aut aucupationi clamorose, vel alias cum canibus, aut aubus ex proposito interfuerit. Circa quam penam primum aduerto non de omnib. religiosis aut monachis ibi sermonem esse, sed solum de Monachis nigris (vt ibi dicitur) id est, ordinis sancti Benedicti. Ideoque extendenda non est ad alios religiosos, vt Gloss. ibidem aduertit. Notanda enim sunt singula verba, quæ ibi ponuntur in explicanda causâ huius suspensionis: nam in priori parte dicitur, Si præsumpserit portare, &c. iuxta quæ verba requiritur vt aliquis cum sufficienti aduertentia & per modum ordinarij habitus, illo vtatur sibi prohibito. Similiter in altera parte dicitur, Ex proposito interfuerit. Vnde intelligitur si casu contingat aliquem in huiusmodi venatione aliquantulum interesse, posse ab hac censura excusari.

Sexta in Prælatos non restituentes bona.

Sexta Suspendio fertur in Clementina prima, §. Quibus de Priuilegiis, in qua fertur sententia suspensionis absolute & simpliciter in Prælatos religionum, qui de his, qui occasione quorundam excessuum suorum religiosorum ibi prohibitorum ad eos quoquomodo peruenerint, Ecclesiis, aut personis Ecclesiasticis læsis, seu damnificatis, intra mensem postquam requisiti fuerint, non satisfecerint. Itaque ad incurrendam hanc suspensionem multa concurrere debent ex parte causæ propter quam incurritur: Primum, quod isti Prælati aliquid acceperint: quod intelligo siue pro monasterio religionis: siue etiam pro personis priuatis acceperint: nam textus simpliciter & generatim loquitur. Secundum, vt id quod accipitur, illis detur occasione excessuum sibi prohibitorum suis religiosis, quales sunt, ne cum interfuerint condendis testamentis, à restitutionibus faciendis, aut legatis matricibus Ecclesiis relinquendis, testatores retrahant. Item ne legata aut debita, vel male ablata incerta sibi, aut aliis singularibus sui ordinis fratribus, vel conuentibus in aliorum præiudicium fieri, aut erogari procurent, &c. & alia quæ ibi numerantur. Tertium est, vt huiusmodi prælati, ad quos hæc bona sic usurpata peruenerunt, super ea requirantur ab his personis, in quorum præiudicium usurpata sunt. Quartum, vt possit

Fr. Suarez tom. 5.

A hanc requisitionem per mensem sint in mora satisfaciendi, quo tempore elapso suspensionem incurrunť usque ad satisfactionem debitam. Quæ suspensio, cum simpliciter feratur, ab omni officio, & administratione suspendit iuxta superius dicta. Ex quibus constat hanc suspensionem non ferri contra omnes singulares religiosos, qui illos excessus committunt, & in principio illius Clementinæ numerantur, vt Syluester & Angel. verb. Suspendio, falso Angelus. docent: nam hi omnes ea causa ibi excommunicantur: suspensio autem solum fertur in Prælatos, qui modo explicato delinquant.

Septima in Confessores.

Septima Suspendio sumitur ex Clement. Causen-
tes, de penis, vel omnibus religiosis qui confes-
siones audiunt, vel populo concionantur, præcipi-
tur, vt, si à Rectoribus Ecclesiarum, vel eorum Vi-
cariis requirantur, populum admoncant inter con-
cionandum certis diebus ibi designatis, vt decimas
soluant, & penitentium conscientias super hoc o-
nerent: quod si concionatores religiosi sic requisiti
scienter immiserint hoc populo suadere, contra eos
non fertur suspensio, vt quidam putant, sed solum
præcipitur eorum Prælati, vt eos puniant: & statu-
ta poenalia contra eos faciant, Sed qui in audiendis con-
fessionibus scienter postposuerint conscientias
facere de soluendis huiusmodi decimis ab officio prædicationis ipso facto suspenduntur, donec conscientias eisdem
conscientiam circa eandem rem fecerint, si commode potuerint. In quo textu genus quidem seu modus suspensionis satis clarus est. Est autem animaduersione dignum, quod cum delictum hoc sit ex negligentia in confessione, suspensio non fit à munere audiendi confessiones, sed concionandi, vt intelligamus non semper necessarium esse, aliquem in eadem materia puniri, in qua deliquit, sed pendere hoc ex voluntate legislatoris. Et fortasse occasio hic fuit, vt possint hi in eodem confessionis officio supplere, quod negligenter omiserant: hoc enim onus eis imponitur, quod implere non possent, si ab officio audiendi confessiones suspenderentur. Rursus circa causam huius suspensionis multæ circumstantiæ obseruanda sunt. Prima, quod huiusmodi religiosi sint requisiti à Rectoribus Ecclesiarum. Secunda vt Scienter, hoc facere omittant: nam si ex aliqua inaduertentia id relinquant, non sufficit. Tertia, quod circa confitentes hanc diligentiam omittant. Quod potest probabiliter exponi formaliter de confitentibus vt confitentes sunt, id est, quatenus in confessione ipsa aliquam notitiam huius obligationis, vel occasionem huius admonitionis præbent, nam si poenitens nullam mentionem huius rei faciat, non videtur obligari confessor, vt de illa re poenitentem admoneat. Sed quia Pontifex simpliciter, & absolute loqui videtur, addendum censo præter illum casum, obligari confessorem ad hoc quoties ab Ecclesiæ Rectore requiritur: nisi alias ei certo constaret, hunc poenitentem particularem nulla obligatione teneri.

Additur vero vterius in prædicto textu poena excommunicationis ipso facto incurrenda in prædictum religiosum sic suspensum, qui non obstant dicta suspensione concionari audeat, prædicta negligentia non prius purgata: quo satis significatur tam diu durare suspensionem illam, & non amplius. Ac denique additur limitatio quædam ex parte perhorum, scilicet, vt poena vel constitutio non extendatur ad religiosos monasteriorum, vel rectores Ecclesiarum decimas percipientium: eos enim tanquam in re propria delinquentes, noluit Pontifex punire.

)(

Xx 3

Alia

10
Clemen. 1. de
Statu mo-
nach.

Clemen. 1. de
Rik. Relig.
non alia.

12
Clemen. c. 2.
penes de
Panis.

Notia

Causa huius
censura.

13
Poena in
violantem
suspensio-
nem hanc.

Alia suspensiones religionum.

Vltimo loco addi hic possunt suspensiones nonnullae quae sunt communes religionis cum aliis clericis, ut est illa, quae circa honestatem habitus fertur in Clement. 2. de Vita & honest. cler. & quae circa matrimonij benedictionem, & contractum sine facultate administrationis fertur in Concil. Trid. sess. 24. capit. 1. de Reform. matrim. quae in superioribus declaratae sunt. Item hic spectat suspensio Capituli religionum, quod pro receptione alicuius aliquid ex pactione recipit iuxta Extrauag. 1. de Simonia inter communes. Vbi illa suspensio Papae reservatur. Sed textum illum supra exposuimus agentes de excommunicatione, quae ibi principaliter fertur pro his actionibus quae ad singulas personas pertinent, & de illo genere culpa, quia longiorem difficultatem postulat, in dicto opere de religione latius dicemus. Et ideo de suspensione hac dixisse sufficit.

DISPUTATIO XXXII.

De interdicto in communi quoad essentiam, & species eius.

DE hac censura eadem methodo & ordine, quo de aliis disputabimus. Prius enim de natura & specifica ratione interdicti, postea de singulis interdictis ipso iure latis dicemus. In priori vero parte prius essentialem rationem interdicti, & varios modos seu species eius, deinde effectus, postea causas, ac tandem eius absolutionem, seu relaxationem declarabimus. Et quia cessatio à diuinis interdicto annexa est, ideo breuem etiam de illa tractatum in fine adiungemus. Disputant autem de hac materia ex Scholasticis pauci, magnaue cum breuitate in 4. distinct. 18. & 21. latius Summistae praesertim Angelus, Syluester, & Antoninus tertia parte, titulo vigesimo sexto, & Iurisperiti, praesertim Nauarrus, & Couarruias, quos saepe in sequentibus referemus, & in tomo 14. tractatum Iuristarum habentur nonnulli de hac materia. In hac ergo disputatione solum definitionem, & diuisionem interdicti trademus.

SECTIO I.

Quid interdictum sit, & quomodo ab aliis censuris differat.

Ratio dubitandi.

EFFICULTAS huius dubitationis consistit in explicanda propria differentia interdicti ab aliis duabus censuris. Supponimus enim ex dictis in principio huius operis: interdictum esse censuram quandam & consequenter per genus illud differre ab omnibus aliis pœnis, impedimentis, seu inhabilitatibus Ecclesiasticis, quae censurae non sunt. Tamen ab excommunicatione, & suspensione non videtur posse differre, quia cum illis conuenit in ratione priuationis Ecclesiasti-

Acorum bonorum, vel quae illis annexa sunt: nullum autem videtur posse excogitari Ecclesiasticum bonum, quo non priuentur excommunicatio, vel suspensio: ergo non apparet quomodo possit esse censura ab his distincta; sed ad summum differt ab illis vel tanquam pars à toto, vel sicut excommunicatio minor à maiore, vel alio modo simili. In contrarium vero est, quia supra ostendimus ex iure tres esse species censurae, quarum una est interdictum.

Vt nominis ambiguitas tollatur, suppono verbum interdicendi aliquando generaliter sumi pro quacumque prohibitione à superiore facta: quomodo sunt apud Iuristas tituli de Interdictis, & Coactione, & Insuper. Vbi in secundo dicitur non solum dari interdicta prohibitoria, sed etiam restructoria, & exhibitoria; quia, licet interdiciere quadam ratione significet idem quod prohibere; tamen rationale alia etiam significare potest dicere ius inter aliquos: & ideo obtinuit vsus (dicitur ibi) ut decretum inter duos dictum, interdictum dicatur. In qua significatione videtur hac voce Pontifex in cap. Pastoralis, de Causa pos. sess. & prop. vbi Glossa ait: Interdictum olim erat quaedam formata & solennis conceptio verborum quibus praeter aliquid fieri iubeatur, vel prohibeatur. Sed omnia hac significatione iuris civilis propria; quamuis à Cicerone etiam, & Latinis interdum vsurpata frequentior est illa, qua Interdictum, prohibitionem significat: & sic etiam iure civili, Interdictum, significat poenam, qua aliquis vel patria, vel aliorum bonorum vsu priuatur: quomodo etiam est titulus ff. de Interdictis, & relictis. Et aliquando in iure canonico, ut in superioribus saepe notauimus, vox interdicendi in hac significatione sumitur, & effectibus eiuslibet censurae accommodatur. Sicut è conuerso verbum suspendendi aliquando huic censurae interdicti adaptatur. Tam vero vsu Ecclesiae nomen interdicti accommodatum est ad significandam quandam specialem Ecclesiasticam poenam priuationis quorundam bonorum Ecclesiasticorum, quae per modum censurae imponitur.

Interdictum ergo in hac acceptione sumptum ita solet definiri, Est censura Ecclesiastica, qua homo a perceptione quorundam sacramentorum, & à diuinis officiis, & ab Ecclesiastica sepultura separatur. Ita Soto in 4. distinct. 22. quaest. 3. articulo primo ex cap. Non est verbum, de Sponsalibus, & cap. Quod in se, de Poenitentia & remissionibus. Ex quibus colliguntur quidem effectus interdicti, qui in praedicta definitione innuuntur, non tamen ipsa definitio. Quae, si recte attendatur, tota conuenit excommunicationi, quamuis non fit illi adaequata: & ideo ex vi illius definitionis non vitatur, quod in principio obiecebamus, interdictum esse quandam minus grauem excommunicationem, veluti mediam inter maiorem & minorem supra declaratas. Accedit, quod illa definitio non videtur dari de interdicto in communi, quod à personali & locali abstrahit. Et ideo alij praeficiunt hominem à tali definitione, & indefinite vel passiuè aiunt, interdictum esse censuram Ecclesiasticam, qua prohibetur diuina officia, & c. ut Nauarrus cap. 27. num. 164. qui in reliquis particulis ferre conuenit cum praedicta definitione. Couarruias tamen in dicto capitulo, Alma, secunda parte, §. 1. num. 2. magis æquiuocè vsus est suspensionis, dicens, Interdictum esse suspensionem à diuinorum officiorum sacramentorum, actiua & passiuè celebratione respectu alicuius loci, aut personarum factae, Ecclesiasticam etiam prohibentem sepulturam: Vltus est enim nomine suspensionis pro nomine prohibitionis vel priuationis, non sine æquiuocatione, cum de differentia inter suspensionem & interdictum agamus. In reliquis vero particulis, non solum genus, sed etiam species interdicti cõplectitur. Alij differentiam interdicti cõstituant in hoc, quod prohibitio eius directe non fer-